



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Concipiendum esse nobis desiderium perfectionis. Cap. iij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



desideria, quam opera persequerent, & in dies magis ac magis augeantur, ut prudens Martha, atque sollicita, Mariæ sororis auxilium efflagita. Clarius dico: ut desideria crescant, & bona opera persequerent, utraque sollicito studio orationis coadiuua. Hæc enim, quæ quodam modo ad genus operum, & quodam modo ad genus desideriorum pertinet, & mentem in operibus bonis confirmat, & desideria ipsa quotidie magis inflamat. En duo ligna, quibus ignis veri & perfecti amoris accenditur, quo cibus animæ conditur. Nam si illa vidua Eliæ pro buccella panis sollicitata respondit: Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farina in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi, & filio meo, ut comedamus & moriamur; ] mysterium inuoluit, eius, quod nos facere debemus, ut in hac vita sustentemur. Si enim non habemus panem, nempe virtutem perfectam, quæ nos vitiumque reficiat, colligamus duo ligna, alterum boni desiderij, alterum boni operis, quibus ignem feroris & deuotionis excitemus. Hoc igne ita oleum diuinæ gratiæ, & farinulam nostræ industriæ satis modicam condiemus, & vnum oleatum panem coquemus, ut non nobis solis, & filio nostro, scilicet spiritui, sed etiam propheta sufficiat. Christus namque redemptor noster in Elia figuratus, hoc etiam pane spiritualis vitæ reficietur: Qui dicturus est iis, qui ad dexteram eius erunt, & ad regnum sunt admittendi, Esuriui, & dedistis mihi manducare, venite & possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. ] Iste etiam pane comedemus, & moriemur, quia eius gustu à rerum secularium amore auulsi, moriemur sæculo, ut Deo, & iustitiæ viuamus. Sed nunc omissis bonis operibus, quæ ad perfectionem necessaria sunt, de primo ligno, scilicet de perfectionis desiderio differamus.

*Concipiendum esse nobis perfectionis desiderium.*

CAPVT III.

**R**ACILLIMVM cuique videbitur desideria perfectionis concipere, & ad sanctitatem cordis affectibus aspirare. Ea namque est humana voluntatis natura, ut velut præceptum in bonum, ac pulchrum feratur, præsertim si bonum ipsi cupienti, ac possibile existimetur. Quid autem perfectione melius, quid sanctitate pulchrius, atque formosius, quam nobis peruiam esse maiorum nostrorum, qui nos Christo genuerunt, hominum scilicet imbecilliorum exempla declarant? Voluntas ergo prona erit in perfectionis desiderium, quod non solum facile, sed & iucundè, & gratanter eliciet. Accedit ad hoc, quod perfectionis difficultas, non in affectu, aut desiderio, sed in opere videtur esse sita: Neque enim difficile est oculos in munitissimam & altissimam arcem attollere, sed admodum difficile, compedes, & catenas, quibus aliquis est ligatus, abrumperè, & per loca inuia atque prærupta, pedibus & manibus reptando, ad arcem properare. Non est difficile operare victoriam, quam non tantum tyrones milites, verum & vilis agalonus turba, quæ manet ad sarcinas, impensè solet percipere, sed difficillimum hostes animosus, & robustos, & fortiter pugnantes, deicere. Ita nulla apparet difficultas in hoc, quod sublimissimam perfectionis arcem oculis affectuum lustremus, & omnium hostium vitæ spiritualis, ac nostri proterui cordis victoriam cupiamus,

**A** sed difficultatem habebit, & quidem magnam, opus ipsum, quo nos, & aduersarios vincimus, & à vilitate carnalis vitæ in altitudinem perfectæ & sanctæ mentis ascendimus. Quare superuacuum videtur desiderij perfectionis mentionem facere, & ad ipsum concipiendum velle religiosam animam incitare.

Fateor hoc ita esse, si humana natura integras, fortis, & sana persisteret; at tot vitiorum affectu morbis, tot peccatorum operum tenebris, tot affectuum immoderatorum consumptæ doloribus, non est illi facile hoc perfectionis bonum aspicerè. & illius desiderij incitari. Sicut enim homo dolorum violentia cruciatus, & vlcera tabe corrosus, vix potest nisi suam miseram sortem cogitare: sic impurus animus, vitiorum & desideriorum carnalium ægotatione compeditus, sui puritatem, aut cogitare, ut oportet, aut optare non valet. Imò si attentius inspiciamus, animus peccatis irretitus, ineptior est morbo ad perfectionem optandam, quoniam huic sui dolores, & sua vlcera displicent, & displicentia, ac detestatio dolorum, ad querendum remedium sollicitat; peccatori verò sua vulnera placent, quæ complacentia, ac vitiorum amor, ad persistendum in eis, & nihil aliud, nisi quod vitium feruiat, cupiendum, impellit. Non itaque ineptè corda vitiorum spiritualium, vel (ut apertius loquar) eorum, qui statum religiosum habent, & vitam spirituales professi sunt, ad perfectionis desiderium excitamus, ut si adhuc reliquæ morborum antiquorum manent, quibus in sæculo ægotabant, & famem ac sitim tam suauissimi cibi præpediunt, aliquibus remediis eam acuerè, & excitare conentur.

**B** In quo Paulum sequimur; qui non tantum in illis, verum in omnibus quoque fidelibus hoc perfectionis desiderium accendit. Si surrexistis cum Christo, ait, quæ sursum sunt querite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. ] Si hæc omnibus fidelibus dicta sunt, quanto magis his, qui pro sui status ratione, & pro beneficiorum onere, quibus ditati sunt, quæ sursum manent, querere debuerant? Hunc ergo Apostoli sermonem sibi dictum intelligant, & ad se præcipue spectare cogitent, ut si cum Christo noua quadam, & peculiari ratione surrexerunt, quatenus mortem omnis peccati, & ægrotudines secularis conversationis vitauerunt, curent desiderijs suis omne vile, & caducum abicere, & ad vitam celestem, & perfectam contendere. Vbi Christus est, inquit, ibi desideria vestra subuehite: nihil nisi quod ad Christum ducat, & vos Christo coniungat, in hoc sæculo nequam cupiatis, ita fiet, ut & sæculi miserias, & pericula, euadatis, atque ex illo veluti ex laqueo liberi, & secuti in cælum euoletis.

**C** Imitemur nunc Paulum, atque in nobismetipsis, sed & in omnibus ista legentibus, nonnullis rationibus propositis, istud perfectionis desiderium excitemus. Vna verò, & satis efficax ex ipsius nostræ naturæ conditione petatur. Homo enim imago Dei est, ad hoc conditus, ut Deum operibus suis ac desiderijs glorificet, cuius præcipua parti, nempe spiritui, minus præcipua, scilicet caro, subiecta est, ut quam Deus in toto orbe, spiritus in sua carne potestatem exerceat. Quod & in ipso Apostolo videbimus expressum, si tantillum corticis literæ relinquamus. Vir, inquit, non debet velare caput suum; quoniam imago & gloria Dei est. Mulier autem gloria viri est. Ideo debet mulier potestatem habere super caput propter angelos. ] Ac si diceret; Spiritus, qui est imago Dei, & ad eius gloriam manifestandam creatus, tam puras cogitationes, & tam excelsa desideria habeat, capitis nomine designata, ut nequaquam ea aliquo

3. Reg. 17.

Matt. 25.

Coloss. 3.

1. Cor. 11.



velamine erubescens cooperiat. Caro autem, quæ data est spiritui, non in confusione, sed in gloriam, ut in ea vivens opera gloriæ digna perficiat, sit imago, & gloria spiritus, ut ei quantum terrestris natura patitur, se ipsam assimilet. Et velamen capiti superimponat, ut quasi iugum, indicium sit subiectionis ad virum, nimirum ad spiritum: & si quem motum spiritui repugnantem aduerterit, hoc subiectionis velamine, tamquam potestate comprimat, & quod erubescens dignum est, decenter operiat. Hæc itaque est conditio naturæ nostræ, ut spiritus, quo constamus, sit imago Dei, & caro, quantum eius crassities fert, sit imago spiritus, non quia propriam naturam deserat, sed quia tamquam bonus seruus spiritui pareat, & eius proprietates induat. Est autem spiritus noster imago Dei non mortua, sed viva: non quæ aliquibus lineamentis externis, Deum exprimat, quippe qui est infigurabilis, & ipse spiritus corporalibus lineamentis caret, sed quæ substantia sua & proprietatibus naturalibus Deo similis fiat. Nam, ut philosophatur Ambrosius, sicut Deus totus ubique est, & omnia vivificat, movet, atque gubernat: ita anima nostra in toto corpore, & in qualibet eius parte tota est, cui & vitam, & sensum, & metum, & regimen tribuit. Ille cognitionis est & liberi arbitrii capax: hæc cognitione, & libero arbitrio pollet, quorum altero universa præterita, præsentia, & futura perlustrat: altero verò seipsam, ut libet, in bonam sive in malam partem inflectit. Ille unus substantiæ, & naturæ cum sit, trinus etiam personis est, quæ reuera sunt inter se distinctæ: hæc autem in una substantia simplici tres habet vires, memoriam, intelligentiam & voluntatem, quæ ab ipsa substantiæ unitatem, & simplicitatem non adimunt. Hæc igitur animæ, seu spiritus nostri natura sanctarum cogitationum, & desideriorum nos admonet; ut sicut Deus, cuius imago sumus, se ipsam semper cogitat: & omnia creata non extra seipsum, sed in semetipso cognoscit: & seipsum semper amat, & universa à se condita in se, & propter semetipsum amat: ita & nos Deum semper internis oculis aspiciamus, & nos, & reliqua omnia in ipso subsistere cognoscamus: Deum quoque semper sitiamus, & ei vita perfecta adherere cupiamus, ac nos, & parentes, & cognatos, & amicos, & reliqua universa in ipso, & propter ipsum amemus. Nam si alia sit nostra vita, si aliud nostræ cogitationes abeant, si ad vana & inania nostra desideria defluant, certè monstri & portenti similes sumus. Nonne monstrum est leo lepulesco inuolidior, pardus torpedine tardior, aquila obscurior noctua, & oculis imbecillior? O nos infelices, qui audiuimus. Ego dixi dii estis, & filij excelsi omnes; & scimus nos esse Dei imagines, & tamen à Deo degeneramus, & monstra naturæ aut peccati sumus. Si enim ille est Leone, imò & omni potestate infinitum fortior, nos dii, & filij excelsi sumus lepulescis imbecilliores, qui ad folij motum trepidamus, & nihil magnum pro eius honore, qui tam magna pro nobis fecit, aggredimur. Ille non dico iam pardo sed ipso Sole patre astrorum agilior, qui sine villo motu ita velociter currit, ut etiam peccatoribus longè à se positus, sine vlla cunctatione provideat; & nos ipsa segnitie tardiores, qui nunquam in perfectionem properamus, imò more torpedinum malis exemplis nostris alios à cursu retardamus, & in rebus vanis & perituris hæremus. Ille in videndo aquila efficacior, & omni sapientia sapientior, qui unico intuitu universa perlustrat: nos verò eius imagines oculis capti, quos amores innumera-

Abilium vilitatum dementant, & quasi albugo, commodorum huius sæculi affectus excæcant. Fugiat homo tantam ignominiam, & nobilissima creatura diuinæ similitudinis, id est, perfectionis desideria concipiat. Homo quippe non tantum ad imaginem, sed ad similitudinem Dei factus est; ut quem admodum ille, ait Ambrosius, est charitas, est bonus, & iustus, patiens, atque mitis, mundus, & misericors, sic & homo his omnibus virtutibus vestitur, & dum illis caret, ardentibus earum desiderijs inflammetur.

Vidimus quo pacto ipsa natura viri, id est, spiritus nos desiderijs perfectionis, & virtutis admoveat, audiamus nunc quomodo natura mulieris, id est, carnis, à nobis eadem desideria deposcat. Nec istud mirum videatur, quia si ipsa imago, & gloria viri est, & ei in auxilium data, non est rationi contrarium, ut aliquo saltem sui nos ad amorem, & desiderium sanctitatis accendat. Carnem nunc corpus nostrum voco, quod ex carne, & ossibus, & nervis coagmentatum est, & figura rectum effectum, ut figura ipsa nostra, & facies in cælum porrecta nos ad sublimes cogitationes, & affectus cælestes infliget. Hoc enim corporis nostri figuram rectam postulare, nemo est qui nesciat, nullus penè est scriptor rerum diuinarum, qui non dicat: & Bernardus inter alios hac fere oratione declarat. Quamquam & corporis staturam dedit homini Deus rectam, forsitan ut ipsa corporea exterioris viliorisque re-

ctitudo figmenti, hominem interiorum illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ rectorum admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quam curuum recto corpore gerere animum? peruersa res est, & scæda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cælos libere suspicere, calorūque luminatibus oblectare aspectus: spirituales verò cælestemque creaturam suos è contrario oculos, id est, internos sensus, atque affectus trahere in terram deorsum, & quæ debuit nutriri in croceis, hæere luto, tamquam vnam de subibus, amplexarique sterora. Erubescere anima mea (ait corpus) in mei consideratione. Creata similis creati recta, me quoque accepisti adiutorium simile tibi,

utique secundum lineamenta corporeæ rectorum. Quocumque te veritas, sive ad Deum sursum, sive ad me deorsum (nemo siquidem carnem suam unquam odio habuit, ubique occurrit tibi species decoris tui, ubique pro statu tuæ dignitatis, habes de magisterio sapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam (quam tui gratia accipere) retinente, & seruante prerogatiuam, tu quomodo non confunderis amississe tuam? Cur suam in te conditor intuetur abolitam similitudinem, cum tuam in me tibi conseruet, assidueque representet? Iam omnino adiutorium, quod tibi ex me debebatur, vertisti tibi in confusione: abuteris obsequio meo, indignè humanum corpus inhabitas brutus, & bestialis [spiritus.] Hæc Bernardus. Quorum serie; & corpoream rectorum, nos ad mentis rectorum instigare conspiciamus, & quàm ignominiosum sit in recto corpore, animam gestare terrenam, & desiderijs secularibus eurræ, non obscure coniectamus. In quo si non naturam, at dignitatem mentis amittimus, quam, ut præfideret rebus corporeis, factam, turpiter obsequijs stercoris lutique subiicimus. Tranquillitatem quoque naturæ rationalis pessundamus, quia (ut est in Salomone) solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscerit quæstionibus. ] Quot

Gen. 1.

Amb. supra.

Bernard. serm. 2. in car.

Ephes. 5.

Eccles. 7.

Ambros. lib. de dig. c. 8. ditionis hum. c. 2.

D. Tho. 1. p. 2. q. 14. art. 5.

Psal. 81.



Luc. 13.

Gregor.  
hom. 31.  
in Euağ.

Luc. 13.

Matth. 7.

Plato.

Greg. 7.  
mor. ca. 35.

enim desideria vana fouemus, tor laqueis, & perturbationibus impedimur, quæ nos scédant, & internam métris requiem eneruant. Illa profectò mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec poterat omnino sursum respicere curuationem animæ, quæ terrenis inhæret] manifestè designat. Nam spiritus iste infirmitatis (quo nomine nescio, an scriptura alibi morbum corporalem vocauerit) qui sceminam inclinabat, terrenarum est cogitationum & desideriorum indicium. Quibus homo cælestia non respicit, sed statuit oculos suos declinare in terram, & caducarum rerum amore vilescit. Quare Gregorius ait hunc eundem locum scripturæ tractans: Omnis peccator terrena cogitans, cælestia non requirens, sursum respicere non valet: quia dum desideria inferiora sequitur, à mentis suæ rectitudine curuatur, & hoc semper videt, quod sine cessatione cogitat. Ad corda vestra fratres charissimi redite, quid horis omnibus in cogitationibus vestris voluatis, semper aspiciate. Alius de honoribus, alius de pecuniis, alius de prædiorum ambitu cogitat. Hæc omnia in imo sunt, & quando mens talibus implicatur, ab status sui rectitudine fluctuat. Et quia ad cæleste desiderium non assurgit: quasi mulier inclinata sursum respicere nequaquam potest.] Infirma illa scemina, & corpore curua, tanta incolumitatis cupiditate tenebatur, vt suæ carnis medicum quaereret; & nos mente agroti, & spiritu curui, & vanis desideriiis ad terram inclinati, cur medicum non quaerimus? cur non ad eius pedes prouoluimur? cur non rogamus, ac postulamus, vt dicat nobis: Mulier, id est, mens miserabilis & infirma, dimissa es ab infirmitate tua.] Si ipse dixerit, proculdubio infirmitas nos dimittet, & desideria terrena deserent; vnum verò perfectionis desiderium occupabit, quo mens nostra in corpore recto recta erit, & sicut corporeis luminibus, ita & spiritualibus oculis cælum aspiciet.

Aliud autem est in corpore nostro, quod mentem ad desideria perfectionis inuitat. Nam si arborum nomine designamur, secundum illud: Non potest arbor bona malos fructos facere, nec arbor mala bonos fructos facere:] vertex capillis opertus radicis figuram, corpus trunci, & pedes ac brachia ramorum rationem habent. Quare sicut ab animalibus corporis dispositione distingui-mur, quòd illa terram, vt pabulo ventrique deseruiant, nos verò cælum, vt cælestibus inhæreamus, aspiciamus: ita etiam à plantis arboribusque scemimur, quòd illæ deorsum radices agant, nos autem sursum radices mittamus, vt de cælo succum, quo nobis viuendum est, si non naturaliter attrahamus, at orationibus & desideriiis impetremus. Quare non insulsè philosophus ille, qui diuini nomen accepit, homini arboris inuersa nuncupationem indidit, quòd, contra naturam arborum, non fixus in terra hæreat, sed caput cælo proximum, & veluti ab eo enatum, versus terram insurgat. Si ergo radices arborum, vt placuit Gregorio, cogitationes, & desideria significant, quid est hominis formam radices sursum, & veluti in cælo habere defixas, nisi animam admonere, vt cogitationes, ac desideria sua in res cælestes abigat, & à terrenis caducisque diuellat? Ecce, ô homo, quo pacto omne quod in te est, ad desideria perfectionis mittit, & ad concupiscentiam virtutis impellit; & anima, ac corpus, atque ipsa corporis dispositio à te non amorem terrenorum, sed rerum supernarum desideria deposcunt. Tux itaque natura, tux figura, & loco, in quo satus, & plantatus

**A** es, sine vlla mora responde, vt sis arbor bona, quæ post bonorum desideriorum flores, etiam fructus bonorum operum feras. Atque vtram nos, vt verbis Ambrosij vtar, secundarum vsum arborum possimus imitari, meritisque crescentibus, longave humilitatis radice fundati, sublimes ab humo, decori ad speciem, adultos fructuosorum operum vertices erigamus, ne Euangelici securis agricolæ trunci radicem syluestris excidat. Væ enim mihi est, si non euangelizauero.] Sed vox ista Apostolica est. Væ mihi est, si non peccata desueuero. Væ mihi est, si non media nocte surrexero ad confitendum tibi. Væ mihi, si dolum proximo meo fecero. Væ, si locutus non fuero veritatem. Ad radicem securis est posita; faciat fructum, qui potest, gratia; qui debet, pœnitentiæ.] Sed ego eodem Scripturæ loco non iam timoris, sed amoris, & gratitudinis affectu me moueo. Iam securis ad radicem arboris posita est.] Iam verbum Dei (quod Hieronymus nomine securis intelligit) siue inspiratio diuina, radices mearum cogitationum & desideriorum pulsât, vt tandem me à mundo succidat, & ad opranda cælestia suadeat. Iam nititur me à mundo diuellere, vt Christo per imitationem inserat, & fructus suaues, non veteris Adæ, à quo excisus sum, sed noui hominis Christi, cui sum insertus, tum communi omnium fidelium ratione per fidem, tum speciali per religiosam vocationem, tamquam ex feraci arbore colligat. Vt quid ancipiti gladio resisto? quare me excindi & euelli à rebus mundanis non sino? quare magis fructus mortis, quàm fructus vitæ ferre sustineo? Si hucusque obdurui, & rebus terrenis adhæsi, ne ab illis amore ditellerer; reliquum est, vt prudentior factus emolliar, & ab eorum brachiis aufugiam, vt possim veram virtutem concupiscere. Hæc enim concupiscentia est origo omnium bonorum: quia scriptum est: Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.] Et alio loco: Desiderium iustorum omne bonum.] Nullum autem malum erit iis, qui omne bonum atlequantur; & nullum ex desiderabilibus bonis regno perpetuo iustus parato deficiet.

Sed illud deinde in cor nostrum perfectionis desiderium inuehat, quòd hæc margarita pulchra, atque pretiosa, desideriiis, gemitibus, & lacrymis eius causa profusus acquiritur. Ideo legitur in Proverbis: Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum iustus dabitur.] Sæpe enim Dominus peccatores malorum timore conturbat, vt saltem tamquam mancipia, quæ solum timere nouerunt, mali imminentis metu ab iniquitate se subtrahant. Si verò nullo modo voci Dei eos terrentis obediunt, mala pœnæ sentiunt, quæ culpæ merentur, & quæ vitæ emendatione vitare debuerant. At iustos viros, qui iam peccatis, & vitiis renunciarunt, desiderio virtutis accendit, vt quam mentis puritatem optauerant, post ardentia desideria Domini liberalitate percipiant. Fatentur quidem illi hoc verum esse, & quia quod concupuerant, datum est eis, cum aiunt: Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.] Nam sensus est cognitio efficax, qua vitiorum sceditatem, & virtutum decorem agnoscent: & spiritus sapientiæ est, quo virtutis suauitatem, cordis seu mentis palato prægustant. Hanc verò desiderium attulit, quoniam Dominus non in malum, sicut filius Israel carnes poscentibus, sed in bonum sicut bona desiderantibus, desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo.] Quanti verò referat desiderium istud perfectionis ad eam obtinendam, atque ad

Ambros.  
lib. 2. in  
Lucam  
ad c. 3.

1. Cor. 9.

Matth. 3  
Hieron.  
lib. 1. in  
Matth. ad  
cap. 3.

Sap. 6.  
Prov. 1. 1.

Prov. 10

Sap. 7.

Sal. 77.



Infin.  
l. de disc.  
de perf.  
monast.  
con. c. vlt.

perpetuam vitam assequendam Laurentius Iustinianus non tacuit: Quicumque, ait, illius superna vitæ deliciis, diuitiis, honoribusque abundare desiderat, donec in carne viuit, quamdiu operari licet, virtutum semina spargere non desistat, vt meritum manipulos in horreis cœlestibus valeat aggregare. Semper proficere studeat: qualiter in via Dei crescere possit, assidue meditetur. Et numquam eradicari de se permittat perfectionis desiderium: quin potius quantumcumque profecerit, quamuis plurimis virtutibus locupletatus extiterit, continuè cum Apostolo dicat: Ego me non arbitror comprehensisse. ] Atque ex his æstuantis amoris prouocatus stimulis semper maiora appetat dona, & meliora spiritus charismata concupiscat. ] Desideria itaque magni momenti sunt ad perfectionem assequendam; ex quo misera osecitantia non cupientium eam manifestè colligitur. Quis enim secularis si desiderii opes acquireret, si petitionibus honores obtineret, si concupiscentia voluptates emeret, non peteret, non desideraret, non concupisceret? At quisque nostrum desiderii perfectionis eximiam dignitatem obrinet, & hoc maximum bonum omnia animæ bona comprehendens assequitur; quia Dominus postulantes audit, cupientes implet, nam esurientes impleuit bonis, ] & gementium miseretur. Quare ergo non perfectionem cupiemus, quare non obnixè postulabimus, vt tam facili remedio tantum bonum possideamus? Si verò nobis difficilis est gemitus, & ardua, aut onerosa postulatio, quia adeo fœcundia morbo succumbimus, vt non sit penè vox, neque sensus, neque aliquid dicere, nec dum clamare possimus, ar saltem desideremus; quia coram Domino desiderii, vocis & clamoris vicem supplet. An non audis, inquit Basilius, quemadmodum Moses nihil loquens, sed Dominum interpellans, suspiriis nulla voce expressis; ex ipso audiuerit dicente: Quid clamas ad me? ] Nouit item Deus sanguinem audire iustorum, cui nec lingua adsit, nec vox aërem penetrans. ] Sicut itaque Moyses desideria; ita & cupientium vitæ puritatem desideria exaudiet, & apud illū non minùs desiderium vitium & efficax, quàm sanguis vita carens, & in terram effusus clamabit. Hic enim ideo clamat, quia desiderium animæ vltionem postulantis vociferatur. Ergo ipsum desiderium est vox, quæ aures Dei pulsât, & cor eius benignissimum ad dandum sollicitat.

Si autem post multa perfectionis desideria, post assiduas orationes, & gemitus, ad perfectionis amplexum venire nequiuimus, non deponamus animum, nec de Deo diffidamus, nec ab orationibus, & desiderii cessemus, quia quod hactenus negatum est nobis, aliquando dabitur, & in desiderio, ac oratione persistentibus concedetur. Profectò etiam si in hac vita numquam ad concupitam mentis sanctitatem ascendamus, at desideria nostra non erunt inania, nec inutilia; quoniam à conspectu eius, qui desideria nouit persolvere, & magnis præmiis cumulare, nullo modo sine mercede discedent. Et quomodo sine præmio discedent, quæ bona sunt, quæ à diuina gratia profectæ, quæ, si amplius non possumus, pro ipso opere reputantur, & operis mercede non carent? Sciebat hoc Daniel, qui à Ierosolyma Babylonem in captiuitatem abductus, orationes suas, & gemitus, & suspiria, quæ offerre poterat, pro sacrificiis, & holocaustis, quæ offerre non poterat, acceptari confidenter efflagitat. Non est, ait, Domine in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum

A coram te, vt possumus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. ] Quid est: Sic fiat sacrificium nostrum? nisi quia non adest nobis facultas sacrificia litandi, oratio ac desiderium nostrum pro sacrificiis & holocaustis admittantur. Sciebat hoc Dauid, qui & ipse à sancta ciuitate, & à loco sacrificiorum exulans orat, & dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium versperinum. ] Ac si dixisset, tu Domine, qui cordium es inspector, & acceptor, & desideria pro operibus recipis, quando adest facultas operandi, has orationes, & hæc desideria mea in locum suffitus incensæ, ac sacrificiorum admitte, quæ tibi, si possibilitas adestet, magna cordis deuotione lirasset. Et quid aliud sibi vult illa eiusdem regis sententia pro inuolabili lege in regno Israelis inceptis admittæ: æqua pars erit descendens ad prælium, & remanentis ad farcinas, & similiter diuident, ] nisi virtutem bonæ voluntatis populare? Qui enim voluerunt cum hostibus dimicare, & iussione principis prohibiti sunt, ne farcinæ absque custodia manerent, desideria pro pugna, & periculo, & vulneribus offerentes, spoliolum partem non amittent. Equidem scio desideria mala pro iniquis operibus haberi; & admittentes ea, tamquam reos operis iniqui damnari: dicente Domino: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. ] Si hoc ita est, quare desideria bona non pro operibus bonis ille reputabit, qui licet iustus sit ad puniendum, largior tamen & profusior est ad præmiandum? Cupiamus itaque virtutes omnes, cupiamus mentis nostræ puritatem, desideremus charitatis perfectionem; quæ nobis omnino imperet, quæ affectus nostros perfecte domet, sensus comprimat, & in omnibus, quæ acciderint, diuinæ voluntati subiaciat: atque ex his desiderii, quicquid diuina gratia adiuuante, facere poterimus, diligenter faciamus, quia hæc efficacia desideria vicem operum gerent, & quod impossibilitas operationis ademerit, bona voluntas ardens desiderii impertiet. Hæc est, quamirum in modum ad augmentum virtutis proficit, qua homo spiritualis effectus; quo magis desideria auget, amplius & celerius ascendit. Vnde Hugo ait de eo, qui post consumptionem peccati ad contemplationem subleuatur. Conatur, festinat, ascendit, crescit per desiderium. Et quemadmodum virgula fumi quanto magis sursum tollitur, tanto amplius extenuatur: ita cœlestibus appropinquans, & omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam euaporans, totus spiritualis efficitur. ] Concipiamus iam perfectionis desideria, & omnium terrenorum concupiscentiam reiiciamus, vt & mens nostra suo sit creatori similis, & non indignè corpus pulchrum, & in cœlum erectum inhabitet. Radices spirituales nostræ è cœlo vnde viuunt, inde humorem ad viuendum, & crescendum exsugant. Desideria enim pro facultate nobis sunt data, quibus vitam perfectam attrahamus, & à benignitate conditoris impetremus: Qui desideriorum vocibus excitatur, vt sæuum mare affectuum humanorum compescat, & periclitantes primùm in miram quamdam tranquillitatem, & postmodum in portum perfectionis adducat.

Philip. 3.

Luc. 1.

Basilius  
Pf. 144.

Exod. 14.

Dan. 3.

Pf. 149.

1. Reg. 30.

Matth. 5.

Hugo lib.  
3. de arca  
moral. c.  
7.